

rario, vel lenori.
 8 Contractus locationis an transeat ad heredem. Quid in fisco an teneatur stare locationi, & vide infra, num. 11. Opera artificiales an possint per alium impleri. Filius an teneatur stare locationi facta per patrem de adventitiis.
 9 Locatio an finiat morte administratrix, vel mariti. Quid in paraphernalibus. Quid in bonis constante matrimonio quasitis. Quid in locazione facta per tutorem, vel alium qui habet administrationem plenam. Quid in usufructuario, fideicommissario, vel possessore majoratus. Quid in conductore civitatis, fisci, vel Ecclesie. Quid in fideicommissario. Quid si successor recipiat mercedem unius anni, an videatur approbare locationem. In predictis casibus successor ad nihil tenetur ob non impletam locationem. Mulier habet actionem contra conductorem mariti sine cessione.
 10 Locatio an transeat in particularem successorem. Quid in usufructuario, an proprietarii locati- ni stare teneatur. Retentio quando competat conductori, & an sententia lata contra locatorem noceat conductori. Quid si locator obligat bona sua pro securitate contractus. De conductore ad vitam, vel ad longum tempus, & de pacto inter venditorem & emptorem quod conductor non expellatur. Quid si adfuit pactum de non alienando, cum hypotheca pignoralis. Quid in eo qui emit a majoratus possessore fruitionem bonorum, an teneatur stare locati- onem. Fructus ad quem pertinent si res locata fructibus pendens vendatur.
 11 An fons teneatur stare locationi, & vide num. 8. Singularis successor fisci teneatur stare locationi per eum facta.
 12 Conductor potest alteri locare, & de conducente rem propriam. An usufructus, usufructuarius, emphyteuta, vel habitator possint locare. Conductor equi, qui eum locat alteri qui eum reducat ad dominum, licite hoc lucratur.
 13 Secundus conductor qua actione teneatur ad solutionem pensionis, & de interdictis, & illatis, & pralatione huius hypothecae. Quomodo hoc casu hypothecaria sine personali existat. Fructus nati in pradio rustico, sunt tacite hypothecati, secus de invectis, & illatis in illud. Creditor qui triticum mutuavit ad seminandum praferitur domino fundi agenti pro pensione. Secundus conductor solvit ex fructibus integram pensionem, etiam pro annis praeteritis. Invecita in pradium rusticum an sine tacite hypothecata pro pensione. Via executiva an competat locatori in invectis, & illatis.

14 Pensa quo tempore fieri debeat. Solutio trium annorum facit praesumtionem pro praeteritis annis.
 15 Si plures habent rem communem, & unus vult locare, vel aliter uti ipsa re, & alius contradicat, quid? Quid si unus socius utitur tota re.
 16 De tacita reconductione.
 17 Quo tempore debeat quis remanere in re, ut dicatur inducitur tacita reconductio. Quid si contractus fuerit celebratus in scriptis.
 18 Tacita reconductio an intelligatur cum eisdem qualitatibus, pignoriis, & fideiussoribus?
 19 De remissione mercedis propter sterilitatem, & ejus augmento propter fertilitatem. Ex nimia ubertate augetur pensio. Ad locustarum occisionem contrahunt locator, & conductor. Qua dicatur sufficiens sterilitas ad remissionem mercedis. An remissio pro rata aliquando dari possit. De casibus fortuitis ex quibus fit remissio pensionis.
 20 Renuntiatio casuum fortuitorum an tollat remedium sterilitatis. Quid si casus sunt insoliti. Si decimas conductor non solvit, non potest allegare sterilitatem.
 21 De expensis factis in re conducta. Collectas, seu tributa an solvat conductor. Formam rei mutare non potest conductor. Colonus an possit arbores incidere, & quid in ramis superfluis, vulgo, Talat.
 22 Si conductor non restituit rem vel eam restituit deterioratam, ad quid teneatur? & de ejus culpa, & quid in re locata estimata? De reconductione mularum remissio. De obligatione locatoris. De locazione dolii vitiosi. Ad text. in l. curabit, Codic. de actionibus empti. Procurator litis etiam de levissima culpa teneatur.
 23 Mortem vel casum in reconducta evenisse sine culpa, vel cum ea, cui incumbat probatio? De obligatione custodis tabellionis, vel pastoris, circa custodiam. Si conductor in se suscipiat periculum casus fortuiti ultra justum pretium, est contractus usufructus. Si conductor ducat equum conductum ad alium locum, vel eo utatur ultra dies assignatos, quid? De damno dato per pastorem dominus teneatur.
 24 Dilatio concessa a Principe an comprehendat debitum ex causa locati- onis.
 25 De locazione facta ad placitum.
 26 Colonus partiaris an possit contrahi ultra quam facere potest? & an debeat portare fructus in domum domini suis expensis?
 27 De locazione operarum.
 28 De locazione ovium, caprarum, & ceterorum animalium.
 29 De fructibus pendens locationis tempore; & ibi an jus patronatus transeat in conductorem.
 30 Si navis conducta ad portum redeat vi ventorum, quid?
 31 Fructus an acquirat conductor antequam solvat mercedem, & an teneatur eos vendere domino potius quam alii.

32 De conductore rem conductam emente, an si res revertatur a consanguineis redeat ad suam conductorem?
 33 Duobus conductibus concurrentibus, quis praefertur.

Materiam locationis, & conductionis latissime explicat praeter Scribentes in locis ordinariis, Mozius de contractibus, tractatu de locato. Cardinalis Mantica de Tacitis conventionibus, lib. 5. per totum, Petrus Gregorius in synagoga, lib. 27. Pinellus in leg. 2. Codice de reconduc. venditione, parte 2. cap. 3. num. 4. cum sequentibus, Morla in emporio 1. parte, tit. 10. Suarez, & alii in communibus, tit. de locato, Sylvestri, & reliqui Summistae hoc verbo, Menochius de adipsenda poss. remedio 3. & de retinenda, remedio 4. ex num. 7. & de recuperanda remedio 1. ex num. 60. Molina de justitia, tom. 2. disputatione 486. cum seqq. Lessius etiam de justitia, lib. 2. cap. 24. Barbosa in l. si fideiussoribus, s. final. ff. soluto matrimonio; per totum, Tufchus litera C. conclusionem 604. & seq. usque ad 624. & liter. L. conclusionem 400. & seq. usque ad 433. Vincentius Caroccius in integro tractatu de locato, & conducto, Soula in s. actionum, cap. de locato, & conducto. Pichardus etiam Instituit. eodem titulo per totum, ubi de proprietate verborum locare, & locator: conducere, & conductor: & Augullin. Barbosa in collectione ad hunc tit. ubi plura cumulat, materiam veluti in compendium redigens, Cancercius variarum 1. parte, cap. 14. Girona de gabellis, 2. part. in principio, ubi quando dicatur locatio, quando venditio, & alia: Narbona de atate, anno 5. q. 9. ubi de atate ad hunc contractum requisita, Brito in amplissimo tractatu, quem ad hunc titulum, sic scripsit, Donellus commentariorum juris, lib. 1. cap. 6. & sequentibus, & ibi Osualdus Alvarus Valafcus de jure emphyteutico, quasi per totum; omnes enim quaestiones emphyteutis ad locationem etiam applicat Filiucci in summa, tom. 2. tractatu 36. cap. 1. & seq. usque ad 7. Reginaldus etiam in praxi forei penitent. lib. 25. tractat. 6. ex num. 486. late.
 Ad num. 1. ibi: Et resolutivo dico, &c.
 Dominum teneri tradere rem locatam si fit in ejus potestate, aliis vero si fuerit perempta absque ejus culpa; dissolvi contractum ab utraque parte, ut hic resolvitur; docent Donellus commentariorum juris lib. 13. cap. 7. ubi bene explicat, Cardinalis Tufchus litera L. conclusionem 414. & 420. Petrus Gregorius in synagoga, lib. 27. cap. 1. ubi de personis quae locare possunt: & cap. 3. n. 6. ubi de interesse solvendo ob culpam locatoris: Pichard. in principio, Instituit. de locazione, & conductu, numer. 18. ubi etiam addit, quod si locator tradit rem alio tempore, quam convento non liberatur, quia alia locatio est, argumento textus in leg. si usufructus 6. ff. de usufruct. legato: Caroccius de locato s. de evictio, numero 4. Guzman in tractatu de evictio, quest. 24. numer. 5. & per totam, ubi late agit de obligatione locatoris; & quomodo, & quando ad interesse teneatur, ob non impletum contractum; & n. 18. cum Caroccio dicto s. de evictio, numero 20. & aliis, tradit, quod non potest restitui in sequenti tempore praeteritum, de quo etiam Tiracellus in repetitione, leg. hower, num. 63. Gutierrez lib. 4. practiarum, quest. 52. num. 14. Morla in emporio, hoc titulo, numer. 11. & Salgado de profectione 4. parte, cap. 11. num. 54. & D. Larrea allega-

tione fiscali 18. num. 1. ubi alios refert, & late exornat quasi per totam.

Ad numerum 2. ibi: Si vero res sit ab alio 3. evicta, &c.

Conductor habet actionem contra locatorem pro interesse, cui satisfacet tradendo aliam rem aequè idoneam quando conductor non licuit re locata uti absque culpa locatoris, quia evicta fuit, ut hic resolvitur: ita docent Caballin. de evictio, §. 4. in fine, Caroc. de locat. & conduct. 4. part. quest. 17. & tit. 80. paragr. de evict. num. 4. & licet aliqui negent evictionem locum habere in locazione, communis tamen opinio est eam locum habere, ut docet Guzman de evictio, num. 4. questione 24. n. 1. & 2. ubi numeris sequentibus, comprobatur late resolutionem nostri Gomezii, & quare venditor non possit tradere emptori rem aequè idoneam, locator vero secus: & late exornat decisionem text. in leg. si quis denum, ff. de locato, & melius in quest. 17. per totam: quod etiam facit erudite comprobans resolutionem nostri Gomezii, & explicans dictum textum, Brito in tractatu de locato & conducto, §. 1. in rubrica, 2. part. num. 3; & sequent. quem omnino videas, Donellus commentar. juris, lib. 23. cap. 7. Molina de justitia, tom. 2. disputation. 493. num. 6. & per totam vide Barbosam in l. si alienam, ff. soluto matrimonio, ex num. 75.

Ibi: Et idem est in fideiussore, &c.

Quod fideiussorem, vel pignus promittens, satisfaciatur, dando aequè idoneam, ut hic resolvitur docent aliqui apud Pinellum in l. 2. Cod. de rescindenda venditione, 2. parte, cap. 1. num. 21. & seq. ipse tamen in pacto juris contrarium putat verius in pignore, imo quod creditor non cogatur aliud pro alio accipere, quamvis aequitate aliud tentari possit, & ita, etiam pro negativa sententia, eum refert, & sequitur Rodriguez in tractatu de redditiis, lib. 2. quest. 16. qui etiam quantum ad fideiussorem, negant creditorem esse compellendum alium pro alio accipere; licet ipse Pinel. distinguat inter fideiussorem nondum acceptum, sed tantum promissum; & inter fideiussorem jam acceptum: ut primo casu, alium aequè idoneum recipere debeat creditor, secus in secundo: eos vide, & Morlam in emporio, titulo 8. quest. 16. & Castillo libr. 4. contraveniarum, cap. 10. num. 56. & 57. qui etiam cum negativa manet, de quo etiam vide Larream de evictio. Granatens. 22. num. 2. & 15. & in alleg. fiscali 40. n. 22. qui in dicta decis. 22. ex num. 14. Pinellam contra nostrum Gomezium sequitur, & responder textibus in contrarium adductis. asserens, nec pignus, nec fideiussorem alium pro alio accipere debere creditorem: vide etiam infra cap. 13. n. 19. vers. Adde Gutierrez.

Ad numerum 3. ibi: Adde tamen quod si res locata, &c.

Si domus non possit habitari absque culpa locatoris ob pestem, vel propter malos spiritus, locator non tenetur ad interesse, nec conductor ad pensionem, ita resolvit noster Gomezius: & docet Parillus conf. 18. & 40. Cardinalis Tufchus litera L. conclus. 431. ex num. 51. & litera C. conclusio 607. & 613. & 615. ubi materiam latissime declarat per ampliaciones, & limitationes, quando scilicet conductor non potest uti re conducta absque culpa locatoris, de quo etiam Covarruvias in practico cap. 30. Reginaldus in praxi forei penitent. lib. 21. cap. 40. num. 518. ubi etiam quid si conductor non possit uti ipsa re casu fortuito

tuito ex parte ipsius conductoris? Ofsualdus ad Doncl. lib. 13. cap. 8. lit. C. Petr. Gregor. in syn. regn. lib. 27. cap. 1. ex n. 12. optimè etiam idem Covarruvias lib. 4. variar. cap. 26. ubi explicat latè an liceat conductori à domo migrare ex eo quod tectis imaginibus, & nocturnis illusionibus inquietetur? Molina de iustitia, tom. 2. disputat. 49. §. Girona de gabellis 2. parte. §. 1. num. 42. & præter eos Barbosa in collectan. cap. propter sterilitatem, n. 24. Menochius de recuperanda poss. remedio 10. num. 95. Cancercius variar. 3. part. cap. 6. ex n. 85. latè Guzman, de evitionibus, quest. 24. ubi ex numer. 27. latissime explicat materiam exceptionis implementi non sequuti, quæ hoc casu competit conductori, amplians, & declarans Morla in empiria, 1. part. tit. 10. in præmissis, n. 18. ubi num. 20. & seq. post Menochium de arbitriis, casu 440. declarat per tres conclusiones ad quod teneatur locatæ, si conductor re uti non possit, & frui; eum videas, & num. 23. explicat l. 1. & 2. titul. de las condiciones generales, l. 9. Recop. [de quibus etiam infra num. 12.] vide etiam Cancercium supra, & Gratianum de dispensationibus, cap. 376. numer. 2. & D. Latream allegatione fiscalis 17. num. 5.

Ibi, Quarto §. fero, &c.

Famulus, qui aliquo tempore fuit infirmus, non posse petere salarium pro illo tempore, ut hic resoluitur, probant Covarruvias lib. 3. variarum, cap. 23. num. 8. Gomezius in regia cancellaria de infirmis resignationibus, questione 9. versic. 45. Azevedo in leg. 6. titul. 15. lib. 4. Recopilat. num. 19. Gutierrez plures referens lib. 4. questione 52. num. 23. ubi num. 14. & seq. agit, an possit famulus postea implere tempus, quo ægrotavit [de quo videas Valascum consultatione 155. ex num. 4. Salgad. de procel. Regia. 4. part. cap. 11. ex numer. 54. D. Joseph, Vela disertat. Elyp. 20. ex num. 44.] & an dominus possit recuperare expensas quas fecit in eo curando, Filliucius in Summa 1. tom. 2. tract. 36. cap. 6. num. 109. Reginaldus in praxi fori penitentialis, lib. 25. cap. 40. numero 517. Bolanus in Curia Philipp. secund. parte, §. navigantes, ex num. 33. Cavallos quest. 288. ubi communem contra communem appellat, & quamplures Doctores pro contraria parte adducit Hermosilla in l. 7. titul. 2. parte 5. glossa 1. num. 3. ubi plures refert contra alios, & etiam addit, quod magistro scholarium, seu hæredibus ejus debetur integrum salarium, si ante annum decedat: ex Avileño in cap. 1. prætor. verb. Salario, num. 19. per leg. 4. titul. 31. part. 7. & quod Prætor infirmo debetur integrum salarium etiam pro tempore infirmitatis; item docet cum Flores de Mena quest. 8. §. 2. num. 18. & 19. & aliis quod si dominus expellit famulum antequam tempus adimpleat, quo servire promisit, illi debetur omne salarium, nisi statim inveniat alium dominum cui serviat; Molina de iustitia, tom. 2. disputacione 505. per totam; ubi alia plura de famulis; & quid si alteri locet operas suas, antequam impleat tempus cum priori domino, vel postea quam ab eo receperit stipendium, vel vestitum? Brito in tract. de locato, & conducto, in cap. propter sterilitatem, n. 26. ubi n. 27. limitat præterquam in Medico, Advocato, & Doctore, quibus integrum salarium deberi asserit, quia illis salarium debetur, [ait] pro operibus, & labore, non tam ratione mercedis, quam remunerationis gratia; qua non operas serviles, sed liberales exercent: & numeris sequent. latè disputat de

veritate hujus resolutionis: eum videas, & Morla in emporio, tit. 2. quest. 28. per ter.

Ibi: Item quarto, &c.

Pensionem locationis debere esse in pecunia numerata, resolvit hic noster Gomezius; & ita docet Mantica de Tacitis conventionibus, lib. 5. titul. 2. num. 25. & sequent. ubi etiam ait, quod si quis locavit fundum pro certa quantitate tritici, vini, olei, vel alterius speciei, est contractus innominatus similis locationi, & conductio, & eadem æquitate ratione debet regi, & quo locatio dici potest; licet secus sit, si non certa quantitas frumenti, vini, & olei, &c. danda sit, sed quota; tunc enim non est locatio, sed societas: & ita etiam tenent plures relati à Pinello in rubrica Codic. de rescindenda venditione, 2. parte, capit. 3. ex numer. 28. & à Menchaca lib. 3. usufrequent. cap. 53. Molina de iustitia, tom. 2. disputat. 488. ubi ponit similitudines inter hunc contractum, & venditionem. Lafarte in tractatu de decima venditionis, & alii, Parladorius tom. 3. quotidian. differentia 79. cap. 1. sed hæc difficultas maximè controversa est, ut videri potest per Pichardum in principio Insitut. hoc titul. ex num. 25. ubi postquam plures pro utraque parte adduxit tandem num. 10. distinguit hoc modo, nempe, quod aut locatio consistit in faciend. aut in utendo, hoc est, aut in facto hominis, aut in usu rei, & quando consistit in facto hominis, necessarium esse ait, quod merces consistat in pecunia numerata, ut sit locatio; quando verò consistit in usu rei, tunc non esse necessarium, quod interveniat merces in pecunia, sed sufficere in alia re, cum vide, ibi: & in paragra. ph. item in Insitut. quibus modis re. contrahitur obligatio, n. 71. & Britum in rubrica de locato & conducto, prima parte, paragra. 4. ex num. 54. & Morlam, in emporio, titul. 19. num. 5. & Reginaldum in praxi fori penitentialis lib. 25. tractatu 6. num. 501.

Antequam autem ex hoc numero discendamus; adverte quod in conductoribus reddituum regalium aliud statutum est in Jure, si in conductioe læsi fuerint, vel ob casum fortuitum eis non gaudeant, de quo, & de conductoribus bonorum civitatis, vel villæ, & de emporio pascuorum publicorum videndus est latissime Gutierrez in tractatu de gabellis, questione 136. per totam, & questione 137. ubi alios refert & Morla in emporio, d. llo titul. 10. in præmissis, num. 23. & Carvallius de iudicis, tom. 2. titul. 3. disputacione 10. Parexa de instrumentorum editione, tit. 5. resolutione 3. ex num. 44.

Ad numerum 4. ibi: In quo articulo breviter §. dico, &c.

Si res utenda, & fruenda tradatur absque pretio, censetur locata pro pretio consueto, si verò illa res non solebat locari, nec de pretio consueto appareat, non erit locatio, sed agetur a dione, præscriptis verbis, ad justum pretium; ita resolvit in præsentem noster Gomezius, & docet Mantica de Tacitis conventionibus libro quinto titul. secund. ex numero 12. ubi ait quod non intelligitur contracta locatio, si facta fuerit pro mercede, de qua postea convenierit; nec etiam si fiat pro mercede, quæ justa erit, vel que bono viro videbitur: ex textu in leg. si tibi polienda, ff. de præscriptis verbis, & in leg. si merces, ff. locari, & conducti: & numer. 15. docet quod salarium solum tacite intelligitur constitutum ei qui eligitur ad aliquod ministerium: & numeris

meris sequentibus, id bene explicat: & numero 37. asserit quod si tellis deponat simpliciter de affectu absque certa quantitate, non probat locationem, de quo etiam Mascardus de Probationibus litera L. conclusione 995. per totam, Reginaldus in praxi fori penitentiar. lib. 25. numero 554. Aviles in capit. 1. prætorum, verbo, Salario, ubi alia; Gratianus regula 428. numero 5. Noguero, allegacione 5. numero 15. & allegacione 33. ex numer. 52. Pichardus in principio, Insitut. de locacione, & conductioe, numero 21. & in §. qua de causa, eodem titulo quasi per totum, ubi numer. 7. infert, in mularum locatione consuetam mercedem esse intelligendam, præter quam si sit taxata; & alia: item Morla in emporio, titul. 10. in præmissis, numero 7. ubi probat, quod nulla contrahitur locatio, & conductio; sed contractus innominatus, si in contractu convenierit partes pro pretio quod postea assignaverint, quia merces certa non est: quod etiam docet Pichardus supra, & numero 6. asserit idem Morla, nullam esse locationem, si merces in arbitrium Tertii conferatur, & Tertius non arbitretur; Molina de iustitia, tom. secundo disputacione 487. Scaccia de commercis, §. 3. glossa 3. numero 2. Gregorius in l. 75. titulo 18. parva 3. glossa 4. ubi de modo solvendi salarium; Bolanus in Curia Philippica, §. navigantes, ex numero 35. & latè Cavallos questione 288. ex numero 5. ubi plures alios refert: & num. 7. advertit, quod si famulus fuerit alius vel domini consanguineus, nullum ei salarium præstari debet mortuo domino, quia nec ipse, nec dominus circa consanguineos solent operas locare de consuetudine, quod est necessarium ut debeatur salarium: & ibi, numeris sequentibus alia tradit de salariis Advocatorum, & quod si nihil à principio actum fuerit, debet Judex salarium constituere arbitrio boni viri: Tulchus litera S. conclusione 12. & D. Larrea decision. Granatenf. 83. num. 10. ubi quod salarium debet præstari, qui mandat aliquid facere, nisi alijus culpa mandatum feret, quia tunc ille salarium solvere debet, Filliucius in Summa, tom. 2. tractatu 36. capit. 6. num. 110. Cancerc. variarum 2. parte, cap. 14. num. 111. & sequent. latè, Suarez in præmissis legum fori, num. 14. ubi quod salarium consuetum intelligitur quod de proximo fuit consuetum, Vincent. Carocius in tractatu de locato & conducto, 1. parte, quest. 5. & quest. 8. ubi de mercede & pretio consuetudinario; de quo etiam latè Hermosilla in l. 56. titulo 5. parva 5. glossa 6. ex n. 129. omnino videndus, ubi etiam latè disputat, quod pretium sit justum, & latissime omnes difficultates resolvens circa certitudinem pretii, & an illud debeatur, & quando, & quid in salariis famulorum qui sine pretio servierunt? Brito in tractatu de locato & conducto, in rubrica, prima parte, §. 4. per totum, & Menochius de arbitriis, casu 515. ubi latè de salario famuli quando non fuit conventum inter partes, de quo etiam Parexa de iust. unentorum editione, tit. 5. resolutione 6. ex num. 2. post Flores de Mena quest. 8. §. 2. & Gratianum de dispensatione, c. 257. & de salario Medici, Advocati, & aliorum, latè Parladorius tom. 3. differentia 130. ubi §. 9. quod minorum decem annorum cum dimidio non debetur salarium; de quo etiam vide Narbonam de curate, anno 14. quest. 22. ubi probat utque ad pubertatem salarium non debetur.

Ad numerum 5. ibi: Et breviter, & resoluti. Ant. Gomezii Variarum Resol. Tom. II.

vè dico, &c.

Finita locacione posse dominum locare re in suam cui voluerit, nec esse præferendum antiquo conductorem, ut hic resoluitur, docet Tulchus litera L. conclusione 422. numero 22. & per totam, ubi ampliat, & limitat: Barbosa in l. 8. soluto matrimonio, secunda parte, numer. 25. Carocius de locato, parte. 3. de libertate, super materia, Textus in l. ne cui, questione 1. ubi etiam de privilegio Scholaris in hoc, de quo etiam meminit noster Gomezius, Valascus de jure emphyteutico, questione 24. ubi etiam agit de materia Text. in l. congruit, Codice de locacione prædior. civit. lib. 11. & alii plures relati per Gratianum de dispensatione, cap. 357. per totum, ubi etiam agit, quid in emphyteuti? & quod Scholaris præferatur; & num. 25. ubi quod antiquus conductor cogitur in conductioe perseverare, si antea maximos fructus percepisset, propter quos res tanti locari non posset: Cavallos questione 746. ex num. 61. ubi etiam probat cum aliis pluribus decisionem Text. in dicta leg. congruit, habere locum in conductioibus publicis del. ab. llo de las car. decimas, & paraderias, tabernas, & las de mas: & etiam in rebus Ecclesie; in illis enim administratores debent præferre antiquum conductorem, eum vide, & Gratianum cap. 715. numer. 20. ubi etiam de conductore Ecclesie, Parladorius tom. 3. quæstiones, differentia 109. §. 1. ex numero 7. ubi etiam qui in emphyteuti; & in locacione rei private; & quod in ea non habeat locum Text. in dicta leg. congruit. Pachizus controversiarum juris, lib. 1. cap. 100. Molina de iustitia, tom. 2. disputacione 498. numer. 3. Girona in tractatu de Gabellis, secunda parte in principio, numer. 8. & ut in uno tibi plures referam, videas omnino D. Joseph Vela disertacione Elyp. ensi 12. per totam, ubi numer. 7. probat contra alios plures, quod primas conductor qui ante finitam locacionem prorogationem ejus obtinuit etiam verbalem, præferendus est secundo scripturam habenti: & bene explicat Text. in l. ne cui Codic. hoc titulo, in quo fundatur præsens resolutio: & iterum in disertacione 13. ubi etiam latissime explicat, & declarat dictam resolutionem nostri Gomezii in præsentem, & eam comprobat contra alios plures: & disertacione 14. ubi differit an virtute instrumenti facti in favorem secundi conductoris, possit expelli primas? & disertacione 15. ubi an emphyteutis debeat renovari proximioribus cognatis ultimi possessoris? quod etiam prosequitur disertacione 16. & denique in disertacione 17. latè disputat de conductore recum Fiscalium, vel publicarum, & quod præferatur alteri pro eodem pretio; eum videas; de quo etiam Gutierrez de Gabellis, questione 140. Sed quatenus ad Regalium reddituum conductores novissime D. Franciscus de Amaya in leg. 1. Codice de fide, & jure hasta Fiscalis, ex numero 26. contrarium probat, imò non procedere decisionem dicta leg. congruit: quem videas.

Circa decisionem autem Text. in cap. 1. de locato & conducto, ubi scholaribus conceditur privilegium, quod præferatur in donibus quas habent conductas novis conductioibus, videndi sunt Gratianus de dispensationum capite 357. numero 24. Cenedus in collectione 36. ad Decretales, Barbosa in leg. 1. ff. soluto matrimonio, parte 7. ex numero 51. & alter Barbosa in colle-

Elarica dist. cap. 1. de locato & conducto, qui alios quam plurimos referunt. & Brito latissime in tractatu de locato, & conducto, in amplissimis commentariis, ad dictum cap. 1. ubi etiam de conductore rerum publicarum, D. Joseph Vela dicta dissertatione 13. Hispanens. num. 39. & vide l. 5. tit. 31. parva 2.

Item adde, quod Iudex potest compellere ad locationem, si quis ex officio hoc habeat: Aviles in cap. 17. prator. verbo, A razonables precios, & cap. 8. verb. Dimeros, numer. 5. ubi quod compellit ad locationem domus pro habitatione ipsius Iudicis.

Ad numerum 6. ibi: Et resolutivè dico quod sic, &c.

Ex quatuor causis expressis in leg. ade. Codic. hoc titulo, posse expelli conductorem, ut hic resolvitur, notum est: & quod attinet ad primam causam, nempe quando conductor non solvit pensionem, ita docent, & explicant Tufchus litera L. conclusioe 417. ex numero 28. & conclusioe 381. numer. 7. & 12. ubi quod lite pendente super expulsiõne, non potest propria auctoritate expelli, Valascus de iure emphyteutico, questione 21. numer. 8. & per totam, & questionibus sequentibus, Menochius de recuperanda poss. remedio 5. ex numero 44. ubi etiam an hoc casu possit conductor expelli propria auctoritate, Valdesius ad Suarez in leg. post rem iudicatam, limitatione 7. Scaccia de commerciis, §. 1. questio. 1. numer. 359. Guttierrez lib. 2. canonicarum, cap. 18. numer. 61. Cujacius novella 7. ad medium: Pichardus in §. adeo autem, Institut. hoc titulo, numero 50. & 53. ubi quod conductor expulsiõs non solutionem, non amittit meliorationes; in quo differt ab emphyteuta: & latius in §. actionum, Institut. de actionibus, questione 1. ex numero 8. & maxime num. 24. & 25. ubi numer. 28. asserit quod si conductor vel emphyteuta per lustra solvit pensionem, requiritur cessatio per duo lustra; quod si per menses solutio faciendã est, & conductio facta fuit per quadriennium, aut quinquennium, cessatio biennii requiritur: & num. 16. addit supradicta procedere, etiam si appositum fuerit pactum de non expellendo: & numer. 27. ait, in hoc Regno servandam esse decisionem Text. in l. 4. §. 5. titul. 8. parte 5. cum vide ibi; & in manducationibus ad proxim. 2. parte, §. 2. numer. 22. Cancercius variarum 1. parte, cap. 14. ex num. 6. Reginaldus in praxi fori panicensis, lib. 2. numer. 509. & seq. Molinam de iusticia, tom. 2. disputatione 499. ex num. 2. ubi etiam addit dictam resolutionem observandam, etiam si appositum fuerit pactum de non expellendo cum iuramento, Barbosa in l. 8. §. si solv. solvo in trin. num. 69. & seq. ubi quod conductor expulsiõs repetit expensas utiles, & pro eis retinet ipsam rem; de quo etiam Molineatus in tractatu de retentione numero 280. vide etiam Britum latissime in tractatu de locato, in cap. propter sterilitatem, §. verum, ex numero. 22. usque ad finem; & Barbofam in collectanea ad eundem cap. num. 44. & seq. qui extendunt dictam conclusionem ad scholarem conductorem; si enim tempore debito non solvat, expelli potest, tanquam si non esset privilegiatus, & Villadiegum in sua poitica, cap. 8. ex num. 114. Farinacium qu. 175. num. 112.

Circa secundam etiam causam hic à nostro Gomezio consideratam, vide omnes supra citatos, qui eam late prosequuntur: maxime Tuf-

cham, dicta conclusioe 417. Barbofam in dicto cap. propter sterilitatem, §. verum, numer. 31. ubi notat, quod si eadem necessitas aderat tempore locationis, conductor non poterit expelli, quia necessitas debet esse improvisa, & non cogitata, ut docet Valascus de iure emphyteutico questione 22. Anton. Gabriel in communibus, lib. 3. titul. de locatione, conclusioe 3. per totam, ubi quatuor limitationes adducit, Mieres in tractatu de majoratu, 1. parte, quest. 60. numer. 5. ubi rectè docet contra alios, quod etiam si fuerit appositum pactum de non expellendo conductorem, adhuc ob propriam necessitatem potest expelli, de quo etiam Menochius de arbitrariis, lib. 2. casu 78. Guttierrez de iuramento, 1. parte, c. 37. Vincentius Caroccius de locato & conducto, 4. parte, fol. mibi 89. & sequent. & alii quos refert & laudat Castillo lib. 4. controversiarum, capis. 38. numer. 12. Gratianus disceptat. fr. ens. capit. 149. numer. 16. ubi an successor universalis, vel particularis, possit conductorem expellere ob necessitatem? & tom. 3. cap. 534. ubi quod è contra conductor possit discedere à te conducta ex causa, sicut locator. & tom. 4. cap. 740. late Cæval, quest. 756. ex numero. 40. ubi quod non obstante pacto de non alienando cum hypotheca generali, vel speciali ipsius rei locata, adhuc ad propriam domum revertere poterit Dominus ex causa necessaria, & quid si adit pactum de non expellendo conductorem? & addit cum aliis, quod si conductor sit Officialis Sandæ Inquisitionis, Scholasticus, Iudex, Doctor, vel Advocatus, tunc etiam si Dominus vellet revertere ad domum locatam in casibus sibi permittis, non erit audiendus, quia in concursu privilegiorum melior est conditio possidentis; quod etiam docet Barbofa in dicto cap. propter sterilitatem, in collectanea, num. 27. ubi ex num. 22. ampliat, & limitat dictam resolutionem, & docet quod etiam procedet, si Dominus domo indigeat ad habitationem patris, vel avi, filii, aut fratris, & quod etiam procedit è contrario in conductore, ut ob causam possit discedere è domo, & limitat non procedere in successore, nec quando Dominus promisit non expellere durante conductu, ne, (de quo jam diximus) nec quando fuit facta locatio ad longum tempus, puta decennium, vel ultra, quia tunc non poterit expelli conductor: eum vide, & Morlam in emporio, titul. 10. in primis, numer. 20. Cancercium variarum, 1. parte, cap. 14. numer. 10. ubi quod si Dominus conductorem expellat ratione proprii usus, & statim ab ea recedat, censetur in fraudem fecisse, & teneatur ad interesse, vel reponere conductorem in re conducta, ex Textu in leg. si quis commun. ff. locati; & numer. 18. ubi quod pactum non expellendi intelligitur etiam ad propriam habitationem, Pichardus in dicto §. actionum, questione 17. num. 29. ubi ait, causam sufficientem esse ad expellendum conductorem, si filius locatoris fiat miles, Doctor, aut Presbyter: & numero 30. addit, quod & si pro observatione contractus domus ipsa locata obligata fuerit, conductorem poterit expellere Dominus, si propriis usibus eam necessariam habeat, præter quam si Dominus post locationem alteri donavit, aut vendidit, nam tunc donatarius, aut emptor, non poterunt conductorem expellere propter jus hypothecæ quod habet; etsi ea egeant pro suis usibus: de quo vide Barbofam late in leg. si filiofamilias, §. si filii, ff. soluto matrimonio, ubi ex num.

numer. 34. late agit an possit expelli conductor, si adit pactum de non expellendo cum hypotheca? Reginaldus in praxi fori panicensis, lib. 25. ex num. 510. Brito de locato & conducto, in cap. propter sterilitatem, §. verum, ex num. 6. ubi latissime omnes difficultates prosequitur, & explicat, quos omnino videas: & ibi num. 8. docet hoc jus expellendi conductorem ob propriam necessitatem non habere locum in primo conductore qui domum relocavit alteri; vide etiam Soufam in dicto §. actionum, num. 105.

Item, quid si Dominus egeat dolis suis ad vinum infundendum, si alius ea habeat occupata cum vino, vel oleo empto, vide Gregorium in l. 24. titul. 5. parva 5. glossa 7. & 8. & Bolanum in Curia, 2. parte, §. venia, numer. 94. & Hermosillam in dicta leg. 24. dicta glossa 7. ubi quod debet requirere emptorem coram testibus ut vinum asportet, vel oleum: item quod debeat vendere, vel conducere alia vasa, si ea reperiat, expensis emptoris, prius quam ad effusionem perveniat.

Circa tertiam, & quartam causam expellendi conductorem, videndi sunt ipsimet Doctores supra allegati, qui cas late explicant, & præter eos Menochius de arbitrariis, casu 78. & sequentibus, Ubaldis in tractatu de duobus fevribus, octava parte, numero 34. Valascus de iure emphyteutico, questione 23. Tufchus litera E. conclusioe 658. numero 29. Soufam in repetitione, §. actionum, cap. de locato, ex num. 104. ubi inter alia num. 105. ait, quod facultas expellendi conductorem ob propriam necessitatem, habet etiam locum contra colonum prædij rustici, adversus nostrum Gomezium [quod non placet] Castillo de usufructu, cap. 24. num. 17. ubi quod conductores plures res, si una abutatur perdit omnes, vide etiam Menochium de recuperanda poss. remedio 5. ex num. 44.

An autem causa cessante reintegretur contrahens? vide Titaquellum in tractatu cessante causa, n. 103. & latissime Britum in dicto §. verum: Soufam in §. actionum, cap. de locato, num. 119. D. Joseph. Vela dissertatione. 10. num. 45.

Conductor si habet metretices in domo conducta potest expelli: ita docet cum aliis Morequeho in tractatu de divisione bonorum, libro 2. cap. 7. num. 13. Barbofa in collectanea dicto cap. propter sterilitatem, numer. 35. ubi numer. 36. limitat, præterquam si domus esset juxta lupanar, vel ad talia esset contacta; & ob eandem causam ipsum Dominum posse expelli ex propria domo, probat cum multis ipse Barbofa ibidem num. 39. Farinacius questione 144. numero 29. ubi etiam quod locans domum lenoni, perdit eam, Reginaldus in praxi fori panicensis, lib. 25. ex numero 512. & an si conductor expellatur ob prædictam causam, vel similem, debeat ei remitti pars pensionis pro rata? idem Barbofa ibidem numero 42. cum Gregorio Lopez, Molina, & aliis distinguit; quod si Dominus reperit alium conductorem, debet remittere pensionem pro rata temporis, secus aliàs, quod subintelligit Egidius, ab eo relatus, quando conductor expellitur ad instantiam vicinorum, secus si ad instantiam ipsius Domini: tunc enim indistinctè pensio remittitur; de quo etiam Reginaldus supra.

Item expellitur faber malleans juxta domum ægotantis: Barbofa in l. 1. ff. soluto matrimonio, 7. parte, ex num. 57. ubi alia.

Non peccat autem qui domum metretici locat, dummodo nec principaliter, nec minus principaliter usum metreticum in domo exercendum invidat; sed solum habitationis usum; ut cum multis resolvit Barbofa in dicto cap. propter sterilitatem, numero 18. quod explicat Thomas Sanchez ibi relatus in jumua libr. 1. cap. 7. num. 20. cum Gregorio de Valencia secunda secunda, questione 21. disputatione 3. puncto 4. præter quam si ob loci circumstantiam aliquis peccatummitteret, quod non admitteret eo loco non concessio: & idem credit ipse Sanchez, quando in eadem domo ratione situs, aut alia, esset specialis aptitudo ad committenda peccata, quia tunc locans videtur adjuvare, & ideo indiget causa excusanti, verbi gratia, quod non sit alius conductor: ita etiam docet cum aliis Diana (sine explicatione tamen Thomæ Sanchez) resolutionum moral. prima parte, tractatu 8. resolutione 41. ubi etiam addit, posse locari domum usufructuario; & 2. parte, tractatu 5. resolutione 36. ubi bene explicat; vide etiam Scacciam de commerciis, §. 1. questione 7. parte 2. ampliatione 10. numero 46. Farinacium questione 144. num. 29. ubi quod locans domum lenoni, perdit eam.

Ad num. 7. ibi: In quo resolutivè dico, &c. 8

In hæredem transire contractum locationis, ut hic resolvitur; docent Rodericus Suarez in leg. post rem iudicatam, ampliatione 10. numer. 46. ubi ait, quod filius hæres patris tenetur stare locationi, si autem veniat ad Legitimum tantum per actionem supplementi, non tenetur; quia non habetur ut hæres; quod etiam affirmat Gratianus disceptationum, tom. 2. cap. 347. numer. 45. Alvarado de conjelurata mente defuncti, lib. 4. cap. 1. num. 46. Guttierrez in l. nemo potest, numer. 28. Merlinus de legitima, lib. 3. titul. 2. questione 21. per totam; Mantica de Tacitis conventionibus, lib. 5. titul. 9. per totam, ubi bene explicat; & num. 3. docet quod si minor hæres conductoris repudet hæreditatem, & postea per restitutionem revocet absentem, & admittatur ad eam, non recuperat jus conditionis rei jam locatæ alteri post repudiationem hæreditatis: & numeris sequentibus, late agit an filius teneatur stare locationi: Tufchus litera L. conclusioe 1431. ubi extendit, etiam locatio facta fuerit, donec revocetur, quia per mortem non fit revocatio, & sic transit ad hæredem: secus si locatio facta fuerit ad voluntatem, vel ad beneplacitum, quia voluntas ad beneplacitum expirat morte, Valascus de iure emphyteutico, questione. 1. num. 9. versiculo, Quod multum confert: ubi quod in hoc differt ab emphyteuti, noster Gomezius in l. 40. Tauri, num. 84. ubi ejus Additionator Comejo; Reginaldus in praxi, libr. 25. cap. 43. numero 545. ubi etiam de fisco: Barbofa in l. de vortio de ff. soluto matrimonio, 2. parte, num. 34. ubi advertit supradicta procedere, quando locatur proprietatis, secus si locetur usufructu etiam à proprietario, quia tunc morte conductoris expirat locatio; Molina de iusticia, tom. 2. disputatione 489. numero 4. ubi etiam bene explicat, & alios refert: & tandem cum nostro Gomezio limitat, præterquam si aliquis t operas suas locaverit ad aliquod quod per alium impleri non potest, tunc enim eo mortuo contractus non transit ad ejus hæredes, quando vero per alium impleri potest, etiam opificum sit, transit ad hæredem ejus, qui operas promittit: de quo vide l. 9. titul. 5. parva 5. late Pichard in §. num.

tuo conductore, testitur, hoc titulo, per totum, ubi etiam bene explicat; & numero finali limitat, præterquam si in conductione involvatur societatis, quæ morte finitur; optimè Brito in tractatu de locato, & conducto, in rubrica, secunda parte, §. 5. ubi etiam agit de fisco an teneatur stare locationi; & numero 5. quod filius exiens à sacris paternis, teneatur stare locationi factæ à patre de bonis adventitiis: de quo etiam Pinellus l. Codice de bonis maternis, tertia parte, numero 63. & Gratianus disceptationum, cap. 247. numero 45. Gregorius Lopez in l. 9. tit. 8. part. 5. gloss. 10. ubi quod mortuo, vel ægrotante Officiali, seu artifice, potest opus impleri per substitutum æque idoneum.

9 Ad numerum 8. ibi: Et certè articulus est nonorabilis, &c.

Et ibi, Sic prima conclusio, &c.

Mortuo marito, uxorem non teneri præcisè stare locationi; sed tantum casualitè, modo, & forma tradita à nostro Gomezio; docent Covarruvias lib. 2. variarum resolutionum, capite 15. numero 5. & 6. Tufchus litera L. conclusio 418. ex numero 55. ubi limitat, Sousa in §. actionum, cap. de locato, ex numero 26. Cancertius variarum, prima parte, cap. 14. numero 30. Reginaldus in praxi fori penitentialis, lib. 25. cap. 43. numero 537. Mantica de Tacitis conventionibus, lib. 5. tit. 10. numero 13. ubi etiam num. 9. docet quod è contra, maritus non teneatur stare locationi factæ per uxorem; præterquam si maritus non ignoravit rem sibi promissam & causa doris, esse locatam; de quo etiam Sordus decis. 52. & decis. 299. & Barbosa litera S. de locato, in leg. si filiofamilias 26. §. finali, ff. soluto matrimonio, numero 25. ubi etiam ex numero 13. comprobatur resolutionem principalem Gomezii, plures rationes ejus referens, & refellens: §. 1. 8. numero 23. Lafate in tractatu de decima venditionis, cap. 19. numero 97. Guttierrez in Canoniarum, lib. 2. cap. 8. ex numero 39. ubi numero 43. etiam cum nostro Gomezio docet, aliud esse in paraphernalibus, in quibus uxor præcisè teneatur stare locationi, ut omnes supra citati resolvunt, & etiam Molina de justitia, tomo 2. disputacione 492. numero 2. & 3. ubi supradictam resolutionem amplectitur in paraphernalibus, & in dote, nempe quod uxor in paraphernalibus teneatur stare locationi præcisè, in dote verò casualitè: & num. 4. agit de locatione facta per uxorem, & Cavallos questione 636. numero 23. Brito de locato, in rubrica, secunda parte, §. 5. numero 12.

In bonis autem constante matrimonio quesitis, etiam præcisè teneatur uxor stare locationi facta per maritum, cum per legem sit legitimus administrator; ita docet Morquecho in tractatu de divisione honorum, lib. 2. cap. 12. numero 19. Guttierrez lib. 2. pract. quest. 130. numero 1. Matiezzo in l. 2. gloss. 1. tit. 9. lib. 5. Recopil. num. 20. & 21.

Ibi, Secunda conclusio, &c.

Tutor. Curator, vel alius qui plenam habet administrationem, si locet aliquam rem, minor, & alii teneatur stare locationi præcisè; ita cum nostro Gomezio docent omnes supra citati, maxime Mantica de Tacitis conventionibus, dicto titulo 10. lib. 5. numero 23. Barbosa in leg. si filiofamilias, ff. soluto matrimonio, §. finali, numero 2. Guttierrez lib. 2. Canoniarum, cap. 8. numero 42. Molina de justitia, dicta disputacione 492. numero 1. Cancertius variarum, prima parte, cap. 14. Reginaldus in praxi fori penitentialis, lib. 25. cap. 43.

num. 356. Et plures referens idem Guttierrez in tractatu de tutelis, secunda parte, cap. 20. per totum, ubi n. 6. ampliat, etiam si locatio duraret ultra tempus quo durat tutela, Tufchus litera L. conclusio 418. & 419. ubi etiam de locatione bonorum Ecclesiæ, Brito bene explicans, ubi supra, dicto §. num. 3. 5. 7. & sequentibus, Barbosa in collectanea cap. 1. de solutionibus, ubi etiam de successore Prælati.

Ibi: Tertia conclusio, &c.

Si locator non habet dominium, nec plenam administrationem, tunc successor non teneatur stare locationi; ita docent omnes supra citati, maxime Tufchus, & Molina, & Guttierrez dicto cap. 8. & lib. 1. cap. 36. necnon Cancertius variarum, prima parte, cap. 14. numero 32. Reginaldus in praxi fori penitentialis, lib. 25. cap. 43. numero 538. ubi etiam de beneficiario, Barbosa dicto §. finali, ubi etiam de beneficiario, successore majoratus, & reliquis omnibus ad hanc resolutionem pertinentibus; & de locatione rerum Ecclesiæ: & ibi n. 24. quod non requiritur probatio quod pecunia sit versa in utilitatem Ecclesiæ: & num. 26. quod si locatio ad longum tempus fiat, requiritur solemnitas alienationi necessaria, & quod successor potest exigere à conductore solutiones anticipatas prædecessori factas, præterquam si cesserunt in utilitatem Ecclesiæ, & ibi num. 98. & sequentibus, agit de conductore civitatis, vel fisci, (de quo etiam infra, numero 10.) Molina de primogeniis, lib. 1. ca. tit. 21. & optimè explicans Brito in tractatu de locato, & conducto, in rubrica, secunda parte, §. numero 7. ubi bene agit de locatione rerum Ecclesiæ, de quo etiam Merlinus de legitima, lib. 3. tit. 2. quest. 22. num. 10. & ampliat ipse Brito supra, num. 8. ad locationem factam adjecta hypothecha pro securitate contractus, & ad locationem factam ad longum tempus, & etiam ad illum qui gravatus est in vita testitur; in omnibus enim his casibus successor non teneatur stare locationi; vide etiam Gratianum disceptationum, tom. 4. cap. 606. per totum, ubi n. fin. limitat, si an ecclesiorum desit esse possessor facti suo, videlicet renuntiatione, tunc enim successor [inquit] tenebitur stare locationi.

Sed licet hæc ita sint, quod attinet tamen ad fideicommissarium, contrarium tenet Fusarius in tractatu de fideicommissis, quest. 526. cum Marzario in epitome de fideicommissis, questione vigesima nona, Caraccio in tractatu de locato, titulo de successore, questione decima, & Peregrino eodem tractatu, articulo quadragesimo, numero nonagesimo secundo, & sequentibus, & aliis & numero 4. ampliat ipse Fusarius, sive locaverit primus gravatus, sive alter fideicommissarius, qui debet alteri restituere: & num. 5. limitat in locatione ad longum tempus, cum enim sit species alienationis, non valet, & per consequens successor non tenetur ei stare: Ælprima tamen opinio non videtur recedendum. Vide etiam Merlinum de legitima, l. 3. tit. 2. quest. 12.

An autem successor beneficii, vel alius, recipiendo pensionem unius anni, censetur ratificare locationem sequentium annorum; videtur quod non: per Sordum de alimentis, tit. 3. quest. 16. num. 30. & iterum de hac materia, tit. 9. quest. 42. n. 11. & 35. & Castillo lib. 4. contr. vers. cap. 60. num. 63. iterum Sordum decis. 164.

Et adde quod usufructuarius, vel alius similis qui locavit fundum in quinquennium, verbi gratia; si antea decessit, ut ita non possit im-

pleri contractus, hæres ejus ad nihil tenetur: Guttierrez lib. 1. Canoniarum, cap. 36. num. 9. 16. & seq. & num. 27. & sequentibus.

Adventendum etiam est, quod ex locatione facta per maritum, competit uxori actio utilis contra conductorem sine cessione, in compensationem oneris, seu gravaminis, standi locationi per maritum facta ut dictum est; ita Barbosa in leg. 8. ff. soluto matrimonio, §. non solum, num. 18.

Ad num. 9. ibi. Et breviter, & resolutivè, &c.

Locationis contractum non transire in particularem successorem, ut hic resolvitur, notum est, & ita docent latissime Fachinezus lib. 1. controversiarum, cap. 88. Gregorius Lopez in l. 9. tit. 17. part. prima, & in l. 19. tit. 8. part. quinta, gloss. 7. Morla in emporio, prima parte, tit. 10. quest. 2. Mantica de conventionibus lib. 5. tit. 10. per totum, ubi exornat omnes limitationes nostri Gomezii, & optimè declarat, & in titulis sequentibus agit de omni successore, Covarruvias lib. 2. variarum, cap. 15. Suarez in leg. quoniam in prioribus, ampliat. 20. num. 46. ubi an filius teneatur stare colono patris; Tufchus litera L. conclusio 418. & 420. ubi ponit casus, in quibus tenetur successor particulari stare locationi, Tiraquellus de retractu conventionali, §. 3. gloss. 1. Barbosa etiam omnes difficultates resolvens in leg. si filio 26. §. fin. ff. soluto matrimonio, & in leg. si affinitatis, ibi, num. 4. ubi quod exceptio doli datur contra successorem ex causa lucrativa; de quo etiam vide Sarmientum in l. non ex familia, §. si de Falcidia, num. 7. & Britum in rubrica de locato, secunda parte, §. 5. numero 2. & Guttierrez lib. 1. Canoniarum, cap. 36. num. 9. 16. & sequentibus, & num. 27. & lib. 2. cap. 8. num. 2. ubi de legatario, & per totum caput, Alvaradum de conjecturata mente definit, lib. 4. cap. 1. num. 46. & sequentibus, Sordum decisione 52. Valacum de jure emphyteute, quest. 20. numero 19. ubi adducit duas limitationes nempe in emphyteuta, & in conductore ad longum tempus: & in questione 29. numero 13. Gratianum disceptationum forensium tom. primo, capite vigesimo, num. septimo, ubi quod è contra conductor non teneatur stare emptori [de quo etiam cap. 606.] & cap. 37. ubi an singularis successor ex sententia Judicis teneatur stare locationi; & ibi alia: & tom. 1. dicto capite 606. ubi quid si emptor recepit pensionem, vel colonus seminavit fundum, vel cum esset sterilis cum rediit ad culturam; & alia; de quo etiam Sordus decisione 40. & 225. & 264. Reginaldus in praxi fori penitent. lib. 25. cap. 43. ex num. 534. ubi bene Sousa in tit. de pallis, articulo 9. questione 1. numero 14. ubi ampliat; & in §. actionum, cap. de locato, ex numero 26. & numero 108. Rodriguez de redditibus, libro 2. questione 9. numero 61. & sequentibus, iterum Fachinezus lib. 11. cap. 21. ubi de emente ab Ecclesia, vel fisco: item Gratianus disceptationum tom. 2. cap. 357. numero 43. Cancertius variarum prima parte, cap. 14. num. 31. & sequentibus, usque ad 48. & num. 19. ubi quid si intervenit iuramentum; & numero 49. ubi quod redimens ex pacto de retrovendendo teneatur stare locationi, Molignatus de jure retentiois, numero 217. & 278. & 280. ubi quod habet retentionem pro expensis, & melioramentis, Quintana duenas Ecclesiasticum libro 2. cap. 1. numero 46. iterum Guttierrez in leg. necno potest, ex numero 42. iterum etiam Sordus decisione 265. Cavallos omnino videndus in questione 756. numero 44. ubi

emptor qui scivit locationem, teneatur stare colono; de quo etiam Gratianus tom. 5. cap. 864. numero 3. Pichardus in §. mortuo, Instituit. hoc tit. & in manducationibus, secunda parte, præcepto 2. numero 21. D. Larrea allegacione fiscali 43. numero 5. ubi cum Barbosa, & aliis ait, quod colonus non tenetur stare emptori, qui non habuit cessionem à venditore: & late de hac materia per totam allegacionem; & allegacione 111. numero 16. ubi de emptore fructuum, an teneatur stare colono; post Antonium Fabrum errore 6. Decade 6. vide etiam Castillo de usufructu, capite 73. ubi an usufructu finito, proprietarius stare debeat colono usufructuarii; aut è contra, si ipse usufructuarius an proprietarii locationi stare teneatur; de quo etiam Olualdus lib. 10. capite 9. lit. C. & an decisio textus, in leg. emptorem, procedat in colono Ecclesiæ; Valacum consultatione 40. & 76. & 78. ubi de re hypothecata pro locatione, & alia; & an dicta lex procedat in colono Fisci; ipse Valacum in praxi partitionum, cap. 28. numero 13. Sordus de Alimentis, tit. 9. questione 43. numero 35. ubi quid in alienatione necessaria; de quo etiam Barbosa supra, dicta leg. si filio, §. finali, numero 1. Digesti, soluto matrimonio, ubi numero decimo, ait, quod successor per translationem juris unius in alium, teneatur stare colono; secus ille qui succedit per privationem, seu extinctionem; Parlaorius quotidianarum tom. tertio, differentia centesima nona §. septimo, numero de imo spino, Dominus Joseph. Vela dissertatione decima tertia, numero quadragesimo nono, ubi refert, & non reprobat Sarmientum libro tertio selectarum, capite secundo, numero trigesimo secundo, dicentem, quod si locatio fiat ea lege, ut ipsi domino res sit obligata, in consequentiam necessariam videtur in conductorem translatum utile dominium, & per consequens conductor præfertur in ea; & numero, quinquagesimo secundo, docet singularem successorem teneri stare locationi Principis, Reipublicæ vel Ecclesiæ, ex Pinello in leg. 2. Codice de bonis maternis, 3. parte, numero 68. illatione 10. 11. & 12. quem videas, & ipsum Dominum Joseph. Vela dissertatione 20. numero 7. Merlinum de legitima, lib. 3. tit. 1. quest. 22. ubi an etiam filius teneatur stare locationi patris, quando tantum succedit in legitima; & quod conductor Ecclesiæ, mortuo Prælato à quo conduit, non teneatur stare locationi, nec è contra, & alia plura; de quo supra relati, maxime Fachinezus, & Valacum, & Dominus Joseph. Vela: vide etiam Britum de locato & conducto in rubrica, secunda parte, §. 5. num. 1. 10. & 11. & 17. ubi declarat, & explicat, quid in colono pattiaro (Salgado de retentione Bullarum, 1. parte, cap. 10. §. un. opum, 83. ubi distinguit inter eum qui succedit per translationem, vel extinctionem, ut etiam faciunt alii qui ex supra relatis.

Quamvis autem, ut dictum, & comprobatum manet, contractus hic non transeat in particularem successorem, in aliquibus tamen casibus retentioni competit conductor in re locata. Primus est, propter expensis in re factas, ex Peregrino de fideicommissis, articulo 50. numero 4. & 5. Marteloto variarum libro 2. capite 12. ex numero 1. Caraccio de locato, 4. parte, tit. de expensis, numero 3. Giurba decisione 63. numero 11. Caldas de emptione cap. 27. numero 4. Cancertius variarum 3. parte, cap. 6. ex numero 47. usque ad 84. ubi plura alia; Gratianus disceptat. cap. 442. num.

26. & 27. ubi quod datur actio conductori pro melioramentis, vel conceditur separatio, si commodè fieri potest, Barbofa in l. 8. §. fin. ff. soluto matrimonio, ubi etiam num. 93. quod tempus sit inspiciendum ad æstimationem meliorationum? Hermosilla qui plures refert in l. 9. titul. secundo, parte quinta, §. gloss. 3. num. 95. ubi numero 96. & sequentibus, alios quinque casus ponit, & comprobat; nempe si locator vendidit contra formam pacti, quod conductor possit retinere pensionem, & fructus; vel si fundum seminavit conductor, potest eum retinere quoad annum inchoatum adversus emptorem; & similiter pro pecuniis ab ipso conductore solutis in satisfactio- nem creditorum, seu in anticipatam solutionem pro futuris annis ex Joseph. Ludov. decisione Lucensii 30. num. 18. & Giurba decisio 63. num. 10. & aliis: vel propter meliorationes à se, vel à suo amico ipsius contemplatione factas; eum vide, & Molinagnatum supra.

Et an sententia lata contra locatorem noceat conductori? vide Barbofam in Colleanea cap. cum super, de sen. ecclia, & re iudicata: num. 21. ubi quod noceat.

Ibi: Ex quo inferitur, quod si conductor, &c. Si locator obligat rem locatam, vel omnia bona sua pro securitate contractus, conductor potest retinere rem, donec sibi solvatur interesse (ut docet Gomez.) probat Guttierrez in leg. nemo potest, ff. de legatis primò, n. 44. & 45. ubi etiam quid si adit iuramentum de observando contractum? de quo etiam Brito in rubrica de locato, 2. parte, §. 4. numero 3. Gratianus disceptationum cap. 30. numer. 2. & cap. 740. numero vigesimo quarto, ubi quod conventio conductoris, ut non expellatur, non juvat locatorem, ut cogat conductorem ad permanendum; Gregorius Lopez in l. titul. 8. part. 5. glossa quinta. Barbofa in leg. filiosfamilias, §. fin. numer. 32. Mozius de emptione & venditione, cap. de naturalibus emptionibus, numero 37. Mantica de tacitis conventionibus, libro 5. titulo 10. numero 18. & 19. Caldas de renovatione emphyteut. questione 11. ex num. 18. & alii plures in unum congesti per Dom. Joseph. Vela dissertatione 20. numero 11. & 12. qui rectè taxat Morlam in emporio, titul. 10. questione 2. numero 7. opinantem ad prædictum effectum hypothecam specialem requiri; aliud enim est posse conductorem rem retinere donec sibi satisfiat de interesse, & ad hoc sufficit generalis hypotheca cum obligatione servandi contractum; aliud verò locatorem præcisè teneri observare ipsam contractum, & ad hoc specialis hypotheca cum clausula de non alienando requiritur, ut infra dicitur, & advertit D. Joseph. Vela supra, n. 23.

Ibi: Secundo inferitur quod si colonus, &c. Et ibi: Tertiò limita, &c. De his duabus limitationibus, nempe de conductore ad longum tempus, vel quando inter venditorem & emptorem fuit conventum quod conductor non expellatur, videndi sunt Gregorius Lopez in distal. 19. titulo octavo, paritica 3. glossa final. Garcia in tractatu de expensis, cap. 14. numero 3. Cavallos questione 756. num. 32. ubi etiam numer. 32. addit quod in his, & aliis casibus similibus non satisfaciet emptor, vel particularis successor, solvendo interesse, si magis expedit conductori rem conductam usque ad finem locationis retinere: & numero 38. docet, quod quando aliqua domus locatur in tali situ,

vel in Casa en pnesto, ad exercendum aliquod officium, tunc per venditionem talis domus non potest tolli, Barbofa in dist. leg. si filio, §. final. num. 38. & in l. 8. §. si fundum, numero 14. ubi quod conductor sibi etiam ad modicum tempus acquirit utile dominium, Guttierrez in dist. leg. nemo potest, numer. 49. & 50. Mantica de conventionibus, dist. libr. 5. titul. 10. Augustinus Barbofa in Colleanea cap. 5. de rebus Ecclie: num. 10. & ferè omnes citati supra hoc numero, qui in eisdem limitationes conveniunt; quamvis dubitet in conductore ad longum tempus Brito in dist. §. 5. numer. 8. Quæ autem locatio sit ad longum tempus? vide supra relos, & Valasco de iure emphyteut. questione 29. Sarmiento libro 3. secliarum, capite secundo circa finem, & D. Latream decisio Granatensis 71. numero 11. & sequentibus, ubi an ex ea transferatur dominium? & allegatio fiscalis 44. numero 6. ubi quod licet emptor teneatur stare conductori ad longum tempus, non autem conductor emptori, nisi facta cessio à venditore ipsi emptori, & Cancercius variarum, prima parte, capite 14. num. 26. ubi quod dicitur alienatio, locatio ad longum tempus: & num. 27. quod locatio ad decem annos dicitur ad longum tempus, Salgado in l. yrrubio parte 2. cap. 16. numer. 11. ubi quod pactum ne expellatur conductor, prodest illi irrevocabi- liter: vide etiam Clarum §. final. lit. 5. quest. 82. numer. 4.

Singularem successorem teneri stare locationi si adivit pactum de non alienando, vel non expellendo conductorem, inter eum & locatorem, cum hypotheca specialis ipsius rei, ut resolvit Gomezius, docet Guttierrez in leg. nemo potest, numero 43. Barbofa in leg. si filiosfamilias, ff. soluto matrimonio, §. ultimo, numero 32. & sequentibus, post Covarruviam libr. 2. variarum, capite 15. numer. 3. & alios plures quos in unum congestit D. Joseph. Vela dista dissertatione 20. numer. 13. qui etiam eos sequitur, & Richardus in manducationibus, secunda parte, precepto 2. numero 21. & 23. contra alios, quos refert ibidem ipse D. Joseph. Vela numero 24. Cavallos questione 673. & 736. præter quos videndus est etiam Rodriguez in tractatu de redditibus, lib. 2. questione 9. numero 59. & Brito de locato, in rubrica, secunda parte, §. 4. ex numero 7. post Suarez in leg. post rem iudicatam, in declaratione leg. Reg. limitatione 1. ex numero 7. Salgado de protectione, quarta parte, capite de imo quarto, ex numero 64. ubi de executione contra tertium possessorem in hoc casu.

Ad supradicta unum adverte ex Petro Dueñas in regula 240. & eum referente Didaco Gomez Bayo in suis Colleaneis, verb. Locatio, numer. 14. nempe quod si majoratus possessor post factam locationem vendat fructuonem majoratus pro sua vita, talis emptor teneatur stare locationi; cuius fundamentum poterit esse, quia, ut ait Molina in tractatu de majoratibus, libr. 1. capite 21. num. 26. locatio ad longum tempus facta per majoratus possessorem, valet eo modo quo locationes ad modicum tempus: de quo etiam Brito in dist. §. 5. in rubric. de legato, 2. parte num. 8. in fine.

Quid si fructibus pendensibus res locata, vel in usumfructum tradita, vendatur, ad quem pertinebunt tales fructus? vide Barbofam in l. 8. ff. soluto matrimonio, 2. part. num. 38. in principio, ubi docet quod non pertinent ad conducto-

rem, sed ad emptorem; quod secus est in usufructuario.

11. Ad numerum 10. ibi: Breviter, & resumivè dicitur, &c.

Fiscum non teneri stare locationi si ipsa res locata specialiter conficitur, secus si univèrsaliter omnia bona publicentur, vel pars quotitati- va eorum, ut hic resolvitur, docent Mantica de Tacitis conventionibus, libro 5. titulo 9. numero 5. & 6. & titulo 10. numero 14. Guttierrez in Canonico, libro 2. cap. 8. numero 68. ubi probat, quod singularis successor sibi teneatur stare locationi factæ per fiscum, ne fiscus ad interesse teneatur: quod etiam ex multis extendit ad singularem successorem Ecclesie (de quo etiam videndus Fachineus l. br. 11. cap. 21.) Reginaldus in praxi fori panitent. libro 25. cap. 43. numer. 543. Barbofa in leg. si filiosfamil. §. final. ff. soluto matrimonio, numer. 4. & 6. Farinacius in fragmentis, verb. Fiscus, num. 156. ubi docet, quod fiscus utitur jure privati, quando succedit in bonis vacantibus: optimè Brito in rubrica de locato & conducto, secunda parte, §. 5. numero 1. & 2. ubi in primis docet quod quando fiscus succedit titulo particulari emptio- nis, sive ex lege pæna amissionis ejusdem rei imponente, utroque casu singularis successor reputatur, & non teneatur stare locationi; secus si succedat in omnibus bonis, seu parte quotita- tive eorum: deinde probat, quod singularis suc- cessor ipsius sibi teneatur stare locationi, ut dictum est ne fiscus teneatur ad interesse: de quo etiam Tufchus littera F, con l. fin. 383. num. 30. Molina de justitia, tom. 2. disputatione 461. num. 1. ubi etiam disputat, an quando fiscus non teneatur stare locationi, quia judicatur singularis successor, locator cuius bona publicantur, teneatur ad interesse, vel remissionem mercedis? Gratianus disceptationum forensium, capite 357. num. 17. Cavallos latè questione 755. ex numero 71. ubi etiam de colono sibi Ecclesie, vel civi- tatis, expellendo vel non.

Ibi: Quod ego noviter intelligerem, &c. Cum nostro Gomezio hic transeat Barbofa, Molina, & reliqui supra citati.

12. Ad numerum 11. ibi: Et breviter dico quod sic, &c.

Conductor potest alteri locare si nihil aliud convenit, ita Gomezius in presenti, & docent Caroccius de locato, & conducto, secunda parte, titul. de subloatione, questione 1. & sequentibus, (quem videre sufficit) Gregorius Lopez in leg. 5. titul. 8. part. 1. gloss. 4. Gratianus disceptar. forens. cap. 547. num. 51. Barbofa in l. 3. ff. soluto matrimo. num. 31. Paz in praxi tom. 3. cap. 2. §. 4. num. 27. & sequentibus, ubi quod res illata à secundo conductore in prædium urbanum, censetur tacitè obligata domino, secus si in prædium rusticum: & in cap. 6. §. 3. num. 2. Soula in §. alionum, cap. de locato, numer. 148. Cancercius variarum, 1. parte, cap. 14. num. 2. & sequentibus, Menochius de adispis- erenda, remedio 3. ex num. 96. & de eo qui rem conduit sub certo pacto & pæna, si alteri locet eum eadem pæna, & pacto, quid: vide text. in l. Titius, ff. de servis exportandis, Mantica de Tacitis conventionibus, l. 2. titul. 2. num. 44. ubi cum Felino in cap. inter dilectos, de fide in- strumentorum, num. 166. hoc intelligit, dum- modo conductor locet alteri æquè idoneo, & ad eundem finem: Connanus lib. 4. commenta-

riorum, cap. 16. num. 4. D. Joseph Vela dis- putat. 12. num. 63. Richardus in §. novissimo, l. si- stit. hoc titul. num. 21. ubi cum Caroccio supra, & quasi. 6. id limitat, præterquam si plures focii domum conducant; nam unisex focii recedens non poterit alteri partem suam locare, reculan- tibus lociis; & in rubrica, eodem titul. num. 17. Molina de justitia, tom. 2. disputat. 489. ubi agit de remedio quod dominus habere potest ad- versus secundum conductorem pro solutione pen- sionis: & in num. 3. an emphyteuta, & feuda- tarius, vel qui habet usum, vel ususfructum, vel habitationem, locare possint alteri rem quam habent aliquo ex dictis modis? Tufchus littera C. conclusio 621. ubi ampliat, & limitat.

Item an conduens rem propriam amittat do- minium vel possessionem? Baldus in leg. qui rem, Codic. locat. & plures referens Gratianus reg. 147. ubi, qui non: & vide de hoc Barbofam in l. si alienam, ff. de suo matrimonio, ex num. 104.

Ibi: Secundo intelligo, &c.

Supradictam resolutionem procedere etiam in conductore ad longum tempus, nempe ut sub- locare possit, ut docet Gomezius, probant Pi- nellus hic adductus à Suarez in suis additionibus littera G. in l. 1. Cod. de bonis maternis, 31. parte, num. 63. & sequentibus, ubi declarat quis dica- tur conductor ad longum tempus, Tufchus li- ttera C. dista conclusio 621. num. 8.

Et unum advertit Molina de justitia, tom. 2. disputatione 405. numero 2. versiculo, Simile quid certetur: scilicet quod si quis eum quem con- duxerat, alteri locet, qui eum reducat ad domi- num, licitè hoc lucrabitur, quia hoc commo- dum licitè illi accidit; quod bene inferitur ex supra tradita resolutione.

Ad numerum 12. ibi: Tamen res ipsius con- ductoris secundi, &c.

Res secundi conductoris investas vel illatas in- te vel domo conducta, esse tacitè obligatas pro- pensione; si tamen primo conductori solvitur, liberam manere, resolvit Gomezius in præceden- ti, & etiam docent Auctores citati numero præcedenti, ut ibi diximus, & Rebuffus ad leges Gallicæ, tractatu de literis obligatoriis, articulo 4. glossa 2. numero 13. Gratianus disceptation. cap. 117. per totum, ubi etiam quod hæc hypotheca cessat, si datus fuit fidejussor; & cap. 713. & cap. 27. ubi de rebus minoris, de quo Cavallos qua- sitione 132. & 805. 781. & 784. Reginaldus in praxi fori panitent. lib. 25. num. 584. Oroscius in leg. item quia, ff. de pactis, numer. 13. Molina de justitia, tomo 3. disputat. 489. numer. 1. Rodriguez de redditibus lib. 2. quest. 22. numer. 44. ubide emphyteuta: Caroccius de locato & conduc- to, parte 5. questio 3. Tufchus littera L. con- clusione 428. Sarmiento de redditibus Ecclesiasti- cis, tertia parte, cap. 2. ex numero 16. Fachineus lib. 8. cap. 92. & 93. ubi de exculsione in hoc casu: Soula in §. actionum, cap. de locato, & in titul. de pactis, quasi. 4. per totam, Menochius de adispisenda, remedio 3. late Cancercius 1. parte, cap. 14. num. 4. & 11. parte, cap. 20. num. 344. ubi de instrumento debiti investa in do- mum conductam, de quo etiam Colla in cap. si pater, verb. Bonis suis, num. 9. Morla in em- porio, titul. 10. quasi. 4. Quelada in suis quæstio- nibus, cap. 14. n. 4. Negufantius de pignor. parte secunda, membro 4. numer. 5. qui etiam dis- putant quid dicendum in subconductoris unius partis domus, an investa, & illata ab eo cen- scatur

featur obligata pro tota pensione primi conductoris, an tantum pro rata partis, quam ipse secundus conductor occupavit? quod verius est, ut docet Brito in rubrica de locato, & conducto, 2. parte, §. 1. num. 10. ubi etiam consultit quod secundus conductor solvat primo conductori, à quo causam habet, ut sic liber maneat à primo locatore domino prædii, consultit quoque cautum debere esse eundem dominum, ut faciat notificari secundo conductori, ne solvat primo, nec inde extrahat à se invecda, ut sic sit securus: novissimè Narbona in commentariis, ad tertiam partem novæ Recopilationis, in l. 25. tit. 21. lib. 4. glossa 16. num. 13. ubi docet, quod invecda, & illata, etiam si in aliam domum transferantur, adhuc titulo tacite hypothecæ locatori manent obligata; & num. 89. probat quod secundus conductor pro ea dumtaxat parte pretii, quo ipse conduxit, tenetur domino prædii urbani respectu rerum ibi ab eo invecdarum, licet secus in fructibus prædii rustici, ut infra dicitur; & ibi an sit necessaria excessio prius quam perveniat ad tertium possessorem; de quo etiam Gutierrez lib. 4. quest. 59. num. 30. vide etiam Mantica de conventionibus, lib. 11. tit. 23. num. 2. & Noguerol allegatione 1. ex numer. 84. ubi de bonis subconductoris, & hypotheca eorum: & Carlevalius de iudiciis, tom. secundo, disputatione vigesima tertia, numero decimo nono, ubi quod prædicta hypotheca præfertur alijs etiam anterioribus, & Salgadum de protectione, 3. parte, cap. 12. ex numero quadragesimo tertio, ubi de appellatione in hoc casu: & quod Salviannus interdictum non habeat locum quoad effectum suspensivum, nec admitti exceptiones requirentes altiorum indignam, & alia.

Ita: Nec obstat quod actio hypothecaria, &c. Circa objectionem quam hic facit noster Gomezius, quomodo hypothecaria sine personali existeret possit: vide Britum dicto §. 1. parte secunda rubrica, dicto numero decimo versicul. *Mibi verò ea est mens, &c.* ubi docet in hac specie dari quasi contractum inter dominum & subconductorum, ex eo quod cum ipse secundus conductor propria bona in domum conductam infert, tacite velle censetur obligari, ut ex iisdem bonis pensio domino solvatur, vide eum ibi: & num. 11. ubi explicat text. in leg. si in lege, §. si colonus, Digest. locati, & Cancercium variarum prima parte, capite 14. numero 3. Et de hypotheca de invecdis, & illatis, Menochius de arbitrariis, casu 441. & reliquos supra citatos hoc numero.

Ibi: Item adde quod etiam fructus nati, &c. Fructus nati in prædio rustico sunt tacite hypothecati pro pensione, ut hic resolvitur, docent latè explicantes Tuschus littera H. conclusione 131. Menochius de adipiscenda poss. remedio 3. numero 113. & sequentibus. Gratianus dispensat. lib. 1. cap. 25. latè, & tom. 5. cap. 953. Mantica de Tacitis conventionibus, libro 11. tit. 15. ex numer. 25. Lañarte de Decima venditionis, cap. 19. num. 72. Parladorius different. 79. cap. 3. Valascus de iure emphiteu. quest. 30. numero 15. & quest. 24. ubi etiam an fructus debeant domino potius vendi quam alteri: Reginaldus in praxi forensi, lib. 25. num. 548. cap. 47. Motla in emporio tit. 10. quest. 3. ubi latè, Gutierrez tom. 4. quest. 59. num. 28. cum sequentibus, Barbosa in l. 8. Digest. soluto matrimonio, num. 35. & sequentibus, & num. 38. & in l. 6. eadem tit.

Carraasco ad leges Recopilationis, cap. 11. n. 281. Villadiego in Politicis, cap. 8. numer. 18. & novissimè Narbona in 3. parte Recopilationis, l. 25. tit. 21. lib. 4. glossa 16. quasi per totam. ubi latè materiam prosequitur: maximè ex numero sexto, ubi num. 15. resolvit, quod si concevant dominus fundi pro pensione, & alius creditor posterior, qui tuncum, verbi gratia, mutavit ad seminandum, iste posterior præfertur, ea ratione, quia fructus dicuntur deductis expensis, in quarum numero computatur ipsum semen, referens ad hoc Tuschum littera F. conclusione 501. numero 7. & numer. 89. & sequentibus, usque 65. docet quod secundus conductor prædii rustici respectu fructuum ab eo perceptorum tenetur non solum ad partem quam ipse conduxit, & pro pensione anni præsentis, sed insolitum ad totam pensionem præsentis anni, & etiam præteritorum, de quo videndi Franciscus Onnezus observationum cap. 50. versiculo, Rursus ut etiam: & Collantes in eadem l. 25. lib. 3. cap. 3. num. 7. & Antonius Faber, in ius Cod. lib. 8. tit. 7. definitione 12. ab eo relati, nec non Gutierrez lib. 4. quest. 59. num. 30. ubi bene hoc declarat; & num. 45. probat ipse Narbona, quod dominus fundi potest invocare solutionem factam alijs creditoribus ex ipsis fructibus: eum omnino videas per totam glossam, & novissimè de iudiciis, tom. 2. tit. 35. disputatione 34. ex num. 21. ubi quod in eis sicut præfertur alijs creditoribus præter dominum licet sic posterior tanquam in bonis noviter acquisitis.

Advertendum etiam est, quod licet communis Doctorum sententia admittat tacitam hypothecam in invecdis, & illatis in prædium rusticum, Pichardus tamen in §. item Serviana, 7. Institut. de actionibus, num. 13. contrarium tenet, imo iure non inductam tacitam hypothecam in hoc casu, verius existimat cum Menochio, de adipiscenda poss. remedio 3. ex num. 23. & alijs: & novissimè Brito in dicta rubrica de locato, 2. parte, §. 1. num. 9. ubi explicat text. in leg. in prædii, ff. in quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahatur, vers. Videndum est: quem etiam explicat Pichardus supra, num. 26.

Et an, & quomodo via executiva competat primo locatori in invecdis & illatis, videndi sunt Rodericus Suarez in leg. post rem iudicatam, casu 11. Aviles in cap. 10. Prætor. num. 46. Amador Rodriguez in tractatu, de executione, cap. 1. art. 3. num. 27. & Narbona supra, dicta l. 25. tit. 21. lib. 4. Recopilat. num. 91. & post eos Carlevalius de iudiciis, tom. 2. disputatione 29. num. 19. ubi de prælatione huius hypothecæ.

Ad numer. 13. ibi: In quo articulo breviter, 14. & resolvitur, &c.

Pensionem solvendam eo tempore quo actum est inter partes, & si nihil actum fuerit, consuetudini standum; & si nec consuetudo adsit, in fine anni solutionem esse faciendam, resolvit hic noster Gomezius: & comprobant latè Valascus de iure emphiteu. questione 21. num. 1. Paz in praxi, tom. 3. cap. 6. §. 3. num. 6. Rodriguez de redditibus, libro 1. questione 18. num. 30. Barbosa de l. 8. §. quod in anno, ff. soluto matrimonio, num. 5. Gregorius in l. 75. tit. 18. part. 3. glossa 4. Mantica de Tacitis conventionibus, lib. 5. tit. 6. per totum, ubi num. 4. quod colonus partarius antequam fructus colligat, nec potest, nec tenetur solvere; & num. 15. & sequentibus, latè explicat quando solutio debeat fieri famulo artificis, laboratoris;

laboratori, Advocato, & reliquis, Pichardus, in §. si finium, Institut. de officio iudicis, num. 84. Brito in rubrica de locato, & conducto, 2. parte, §. 1. num. 40. & sequentibus, ubi optimè explicat; & etiam addit, quod si conductor non solvit debito tempore, tenetur ad interesse, si dies solutionis fuerit præfixa; si vero dies non fuerit assignata solutioni, & solutio fieri debet in fine anni, vel tempore consueto, juxta supradictam resolutionem, tunc interpellationem esse necessariam ad petendum interesse; & latè disputat numeris sequentibus quomodo dispositio text. in leg. curabit, Cod. de actionibus empti, possit locum habere hoc casu; & quomodo sit in electione locatoris conductorem expellere ob non solutam pensionem? de quo etiam jam supra dictum est: Molina de iustitia, tom. secundo, disputat. 397. num. 1. ubi nostrum laudat Gomezium, & Soula in §. actionum, cap. de locato, num. 160. & Bolanus in Curia Philippica, secunda parte, §. navet.

Ibi: Item adde quod si dubitetur, &c. Ex solutione trium annorum præsumi solutionem pro præteritis annis [ut hic resolvitur] docent Mantica de Tacitis conventionibus, lib. 3. tit. 15. num. 66. & sequentibus, Menochius lib. 3. præsumption. 139. Gratianus disceptat. tom. 4. cap. 716. num. 12. cap. 7. & num. 78. ubi quid in solutionibus factis cessionario? Eyerardus in loco à geminatione loquutionis, ubi limitat, quando una, eademque die quis solvit pro triennio præterito, quia tunc dicta solutio non procedit; Tuschus littera S. Conclusione 346. per totam, Cancercium variarum, prima parte, cap. 14. ex num. 71. ubi num. 81. quid si creditor in tertia solutione protestetur non sibi nocere velle quoad annos præteritos (& resolvit non prodesse illi dictam protestationem, si debitor reprobatus est sed non consentire dictæ protestationi, Castillo in l. 68. Tauri, verb. En comisso: Fachineus lib. 13. novæ observationum, cap. 89. Barbosa in l. 8. Digest. soluto matrimonio, §. quod in anno num. 5. ubi alios refert; Motla in emporio, tit. 10. num. 46. in præmissis: Mascardus de probationibus, conclusio. 1326. Gutierrez, consilio 19. numero 19. Molina de iustitia, tom. 2. disputatione 497. num. 1. quos vide, & omnino Valenzuelam, & Amayam in commentariis ad leg. quicumque, Codicis de apochis publicis, qui doctissime more suo materiam explicant, & inter alia docet ipse Amaya num. 26. non sufficere quod illa solutio trium annorum probetur per testes, sed necessarium esse probari per apochas; vide etiam Parexam in tractatu, de cessione instrumentorum, tom. secundo, titulo primo, resolutione 10. ex numero vigesimo, usque ad 75. ubi quatuordecim ampliationes & sex declarationes congerit ad dictam leg. quicumque: & ejus materiam latè explicat.

Ad numerum, 14. ibi: In quo articulo breviter, & resolvitur, dico, &c.

Quando in usu rei communis dissentiant socii, tunc unum ex remedijs à nostro Gomezio consideratis applicandum fore docent Menochius consil. 609. num. 35. Caballinus Milleloquio 389. Donellus lib. 3. commentar. cap. 17. Petrus Gregorius in Synagmat. lib. 5. cap. 2. & 3. ubi etiam agit quis possit ad divisionem provocare: Morquecho in tractatu de divisione bonorum, lib. 1. cap. 2. maximè num. finali, & alii relati à P. Ant. Gomezii Variarum Resol. Tom. II.

chardo in §. eadem, Institut. de officio iudicis. Menochius optimè explicans resolutionem nostri Gomezii in tractatu de arbitrariis, casu 442. per totum, omnino videndus: Barbosa in leg. qua datus, ff. soluto matrimonio, numer. 170. & in l. 8. quod in anno, ce lem tit. num. 5. Cancercius variarum 1. parte, cap. 14. numer. 102. Ubaldu de duobus fratribus, 5. parte, num. 11. Tuschus littera S. conclusione 297. & 298. & littera C. conclusio. 534. & 542. & 613. Valascus in praxi partition. cap. 4. num. 19. Mantica de conventionibus, lib. 5. tit. 2. num. 7. apud quos hanc materiam bene explicatam invenies, licet aliqui in aliquibus à nostro Gomezio dissentiant; & vide Bolanus in Curia Philipp. 2. part. 5. sermone, num. 7. & 8. viages, num. 2. ubi quod socius qui vult rem locari ad usum consuetum præfertur.

Ibi: Item adde pro complemento hujus articuli, &c.

Et ibi: Dicebat tamen Florentius, &c. Si unus ex socijs utitur tota re, si est fundus vel prædium rusticum, tenetur communicare fructus, & commoditates ceteris socijs, secus vero si est fundus urbanus, puta domus, ita resolvit hic noster Gomezius, & docent plures ex supra relatis, maximè Ubaldu in dicto tractatu de duobus fratribus, parte 5. quest. 9. Betachinus in reprobatorio, verb. Socius, num. 121. & Dinus in regula, in re communi, in additione littera A. in medio: sed meo videri, probabilius est quod docet Gregorius Lopez in l. 20. tit. 8. part. 5. glossa magna, limitatione 6. nempe quod si domus erat ita ampla ut socio sufficiebat sua pars, nihil teneatur solvere alteri socio, secus vero si sua pars non sufficiebat pro habitatione ejus; vide eum, & Villadiegum in Politicis, in forma libellanti, num. 72.

Ad numerum 15. ibi: In quo articulo quæritur, &c.

Si finito contractu, conductor remanet in re conductâ, & res est talis qualitatibus quod semper uniformiter in ea percipitur fructus, tunc tacite reconductio inducitur pro solo tempore quo ea usus est; si vero res est talis quod certo tempore solet conducti, vel semel in anno, vel biennio ex ea fructus percipitur, tunc pro anno vel biennio intelligitur facta reconductio, ita ut conductor gaudeat fructibus: sic resolvit in præfati noster Gomezius, & latè docent Mantica de Tacitis conventionibus, lib. 5. tit. 15. per totum, ubi num. 13. ampliat hoc procedere in prædij Ecclesiasticum; & num. 27. limitat, si contractus fuerit in scriptis celebratus, tunc enim reconductio celebrari non potest sine scriptura; & num. 40. quod in rebus mobilibus etiam procedit dicta reconductio contra Glossam in leg. item quæritur, §. impleto, Narbona in l. 10. tit. 6. lib. 1. Recopilationis glossa 2. num. 25. Gratianus disceptationum, cap. 68. & cap. 19. num. 12. ubi quod si conductor deficiat in solutione pensionis, non censetur facta reconductio: Tuschus littera L. conclusio. 421. per totam, ubi etiam declarat, & limitat, Palacios Rubicus in rubrica, de donationibus inter §. 6. l. 28. Menochius de arbitrariis, casu 159. & de præsumptionibus, libro 3. præsumpt. 85. ubi etiam de rebus mobilibus Avenauius secunda parte, capite 301. Prætorium, numero 10. Mascardus de probationibus, littera L. conclusio 993. per totam, Caroccus de locato, parte 3. tit. de renovatione locationis, questio.